

1348  
Justinopolis  
ianorum  
defectio Ve-  
neta arma  
in Histriam  
ciet.

præfecto ad Justinopolim recipiendam maritimas terrestresque copias Veneti instruxere. Trajecta in provinciam clas- se, parvo negocio Histri imperium recepere. Auctores de- fectionis, ne alicujus postea motus causa essent, Venetas abducti: unde si injussu Patrum abiissent, capitalis dicta erat illis pœna. Per hæc quoque tempora Albertus Cro- tiorum regulus, Histriæ urbes excursionibus & latrociniis infestans, Veneta in se arma irritavit. Ad eam injuriam ulciscendam novæ sunt copiæ conscriptæ, bellumque subi- to Alberto illatum. Missi Patricii duo, qui communī con- filio bellum administrarent, ac cætera quæ e Republica es- sent, in castris providerent. Ad primos motus territus bar- barus legatorum fidem imploravit, a quibus permissum est, ut Venetas ad Principem & Senatum iret. Ad quos quum ille supplex venisset, et si justam in eum iram Patres habe- bant, ne tamen sui moris obliti viderentur, veniam dede- runt, aliquot oppidis illi prius ademptis, quæ, ne latro- num receptacola, ut antea, essent, dirui mandarunt. Le- gatos, quia bellum ex sententia Patrum non fuerant exe- cuti, ubi domum venere, damnatos, ærariosque factos, Caresinus tradit: qui Dalmaticum hunc motum unus omnium memoriæ prodidit.

Torii Li-  
gustici bellii  
enfase.

Haud quidem multo ab hinc tempore cœptum est ter- tio cum Genuensibus bellari: sed belli causa, ut sæpe alias, ab eorum injuria profecta dicitur. Tenebant illi ea tempe- state maritima quædam Pontici maris oppida: atque ob id jam inde, ex quo Venetorum opes Byzantio a Palæologo ejec- tæ fuerant, cogitare cœperunt, qua vi, quave arte Ve- netis negotiatoribus Pontici maris cursum occluderent. Erant itaque tum alibi Venetis infesti, tum circa Proto- sperum, quod oppidum illi in eo tractu tenebant. Hic Cre- tenses Venetasque naves adepti, in apertam injuriam pro- ruperunt: eas interceptas magno negotiatorum incommo- do, majore ignominia, Caphata retrahendas curarunt. Ca- resinus Caphatino portu naves illas oppressas tradidit. Re- petitis itaque per legatos rebus, nec redditis, Patres va- lidissimam in Genuenses decernunt classem: in Dalmatia ali-